

fratris pileolum pueriliter surreptum capiti imposuit suo aufugitque. Perculti metu parentes promissis, minis, clamore frustra revocant. Contento quippe nihilominus cursu ille abripit se contactumque lue spolium multas horas ludibundus circumgestat. Neque tamen quicquam vel tunc vel postea noxae sensit.

Cap. IV. Studia litterarum et religiosae apud Franciscanos vitae initia.

... Iam diu Peretto improba egestas omnem Felicis apud mercenarium doctorem instruendi praeciderat spem. Itaque laboribus aliis per aetatem minime idoneum hortorum reique domesticae custodiae interdum adhibebat. Atque hinc equidem vulgari fabulae locum factum existimo, qua herile pecus Sixtum prima aetate pavisse, ipso etiam vivente, ferebatur. Quod falso esse iactatum, ipsius Sixti testimonium ostendit. Cum enim ea vir ille fuerit vel aequitate animi vel magnitudine, ut humilitatem generis, ingenuo semper fassus, si quae essent veteris fortunae tenebrae, ulro, ad praesentis excitandum splendorem, memoraret, hoc unum tamen, afflictum natalibus suis probrum, adeo non agnovit, ut ex iis, quae supra memorabam, incerti auctoris, de eius vita commentariis, totum eum locum, quo sibi subulci nota appingebatur, expunxerit. Neque alia de causa inchoatam illam de vita rebusque a se gestis historiam ab eodem auctore continuari vetuit, quod Martinus Cappellettus, Sixti familiaris, olim mihi narrare consueverat. Fabulae igitur domestici forte sues, inter hortorum purgamenta, a Peretto more gentis educati, fecere locum, cum vix ullus sit Piceni agri cultor cui porcus et gallina villaec pastionis pars prima non sit».

Quanto fossero poveri i genitori risulta del resto chiaro dalla seguente ampia descrizione delle difficoltà di fare istruire Felice (cfr. RANKE, III, 70*). L'ingresso nell'Ordine segue nel 1533 (cfr. sopra p. 24); la professione nel 1543. «Exitu anni insequentis religiosam illam disciplinam Felix solemnibus nuncupatis votis pro eius more aetatis, qua Tridentini decreta nulla erant, adhuc impubes rite profitetur». Fra Salvatore viene descritto come « sacerdos pius antiqui moris et probi ». Inoltre è detto di lui « severum ac triste ingenium... Utebatur Felice Salvator in domesticis ministeriis imperiose ac duriter neque, si quid ob imbecillitatem, aut aetatem peccaret, impune erat. Ea tamen universa Felix insigni supra puerilem captum patientia devorabat. Narrare interdum per iocum, non sine morosi senis festiva insectatione solebat iam Pontifex Sextus, saepe sibi impactos a Salvatore colaphos, quod cibos sedenti dum apponерet, non satis aut attolleret aut promoveret, cum tamen, quantum posset etiam in summos elatus peditum digitos conaretur, se enim tenerae eius aetatis initii vix summam mensae cui senex asidebat oram mento excessisse... Primas grammaticae litteras a publico Montalenis pueritiae institutore didicit, ad quem nihilo quam Salvator mitiorem bis quotidie e Franciscanorum coenobio, quod iusto erat ab oppido milliari, ventitabat. In hunc modum primis grammaticae latinaeque linguae superatis rudimentis philosophiam ac theologiam a suis iisque nobilibus magistris auditurus Firmum primo, tum Ferrariam, postremo Bononiam eodem Salvatore curante transit. Ubique summis ob rerum omnium egestatem laboribus vexatus annis omnino sex philosophia et theologiae spatia emensus est».